

Johann Kaspar Bolt


Observationes Juridicæ

Basileæ: Typis Emanuelis Thurneysen, [1781]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn893338265>

Druck Freier  Zugang






Universitäts
Bibliothek
Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn893338265/phys_0001

DFG

V. K. — 1 (II.)



Andrea de Legato optionis.

Bolt. Obs. jurid.

Erhard. de Tabularis antiquis.

Salxner. Obs. jurid.

Joerster. de Donatt. ante nuptias.

Geisler. de hyp. tac. ex causa Canonis emph.

Gottschalk. de Legato rei aliena.

~~Haubold.~~

Hegelmeier ad Edictum Pii pro Christ.

Immunuauu u. Aggellatou u. s.

Kleiner. de Paschate Christianorum

Immunuauu u. I. Ex Anastasiana.

Lowenstern. de Contract. divisione.

Marche. de Divortis

Meier. de eo quod ipso jure fit.

Meister. ad d. centum Capua.

Müller. ^{de jure separationis} ^{de testamento militari.}

Pohl. ^{de testamento militari.} de vita Marciani

Pohl. de Condict. lusa perdeti

Püttmann. de vita Licinii Rufini.

Rau. ^{de testamento peregrinantium.} ^{de jure Papiriano.}

~~Reuter.~~

Sattler de causis Constitut. Principum.

Schnorr. de jure retentionis.

Stevogt. de crimine abortus.

Teucher. de natura interpretationis.

Wagner. de servitute poena.

Walch. de jure cred. mutata re oppign.

Wasmuth. de Privilegiis.

Weiso. de interitu jurium per nonusum

28 Nüdt.



OBSERVATIONES
JURIDICÆ ¹²

QUAS

FAVENTE SUPREMO NUMINE,

EX DECRETO

AMPLISSIMI JURISCONSULTOR. ORDINIS

CELEBERRIMÆ RAURACORUM ACADEMIÆ,

PRO

SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS

AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS

POST ACTUM DISPUTATORIUM

RITE CONSEQUENDIS

ad Diem 31. Augusti MDCCLXXXI.

H. L. Q. S.

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT.

JOHANNES CASPARUS BOLT

TOGGIUS.

BASILEÆ,


Typis EMANUELIS THURNEYSSEN.

OBSEKVATIONES
V I R O
PRUDENTISSIMO, INTEGERRIMO,
JOHANNI CASPARO BOLT
FORI JUDICIALIS THUREVALLENSIS

PRÆSIDI
VENERANDÆ SYNODI TOGGICÆ
PARITER AC
SENATUS SANCTIORIS UT ET FORI APPELLATIONUM
CAUSARUMQUE MATRIMONIALIUM
ASSESSORI.

P A T R I O P T I M O
PIETATE FILIALI AD CINERES USQUE COLENDO

PRIMITIAS HASCE STUDIORUM QUALESUNCQUE
SACRAS FACIT
JOHANNES CASPARUS BOLT,
AUCTOR.



Quum peracto Juris examine de specimine Dissertationis publicæ cogitarem attentius, subit animum, speciale quoddam Argumentum Juridicum pro qualiquali Ingenii facultate tractare.

At angustia temporis pressus, quod ceperam consilium abjicere coactus sum, quapropter ex iis, quæ in cursu Juris se mihi præbuerant observanda, Positiones quasdam tumultuarias, loco speciminis inauguralis, publice ventilandas exhibui, quæ ut ab Æstimatoribus æqui bonique consulantur, etiam atque etiam rogo.

§. I.

Juris Civilis Interpretes multum exercuit Lex illa Regia, cujus meminit ULPIANUS in lege i. ff. de cons. princip. asseverans, hacce lege de principis imperio lata populum ei, & in eum omne suum imperium conferre.

A 2

Equi-

Equidem constat inter omnes, ab OCTAVIO AUGUSTO legis hujus originem derivari. Quamvis enim triumviratus ille, OCTAVII, ANTONII & LEPIDI, ne minima quidem Juris umbra rempublicam invaserit, & subactam prædæ loco habuerit; Quamvis porro OCTAVIUS, oppresso LEPIDO, Antonioque superato, solus, nulla suffragante Juris ratione, summa rerum fuerit potitus, succedente tamen tempore factum est, ut Senatus populusque romanus insignes prærogativas & privilegia, quanta hucusque obtinuerat nemo, eidem deferret. Quod quam maxime apparet ex honoribus atque dignitatibus, quibus ille fuit ornatus; Sic obtinuit tribunitiam potestatem in perpetuum, & ut ad eum provocaciones fierent (a). Huc quoque referre licet, quod AUGUSTUS semel ac iterum, eodem DIONE teste, legibus est solutus (b). Ac ne in hisce recensendis prolixiores simus, quod omnium potissimum est, notabimus, publice datam esse AUGUSTO, facultatem, omnia emendandi suo arbitrio, legesque, quas vellet, ferendi, (c).

(a) DIO CASSIUS hist. l. 51. pag. 523.

(b) Idem l. 53. pag. 582. & 591.

(c) Idem l. 54. pag. 604.

§. II.

Ex his autem concludere licebit, Majestatis jura in OCTAVIUM AUGUSTUM fuisse devoluta, eumque recte primum haberi, cui Senatus populi que romani Auctoritate summum imperium delatum sit; Equidem non ignoramus, eundem, relicta quadam antiquæ libertatis specie, plurima egisse, ut animos civium demulceret, quo per-
tinent

inent leges veteri ritu latæ, (a) ac interpositæ de red-
denda Republica protestationes (b).

At si rem ex vero metiri velimus, tum ipsa Acta senatus populique Romani, tum, quod præcipuum est, ea, quæ circa Reip. formam pro arbitrio correxit AUGUSTUS, satis superque demonstrant, eundem principis Majestatem & obtinuisse & exercuisse, licet titulos absolutæ potestatis, omni, qua potuerat, cura suppres-
sit (c). Cui eo majus accedit pondus, quod AUGUSTUS non per breve tantum temporis spatium summæ rerum præfuit, quin potius in Imperio continua serie tuendo Annos quadraginta quatuor explevit.

(a) Exemplo sunt Leges Juliæ de publicis judiciis, Lex Ælia Sentia, Fusia Caninia, Papia Poppæa.

(b) Videatur præsertim DIO CASSIUS *lib. 53. p. 574. ac SUETONIUS in AUGUSTO c. 28.* ibi & notatu dignum est Edictum his verbis „ Ita mihi „ falvam ac sospitem Rempublicam sistere in sua sede liceat, atque ejus „ rei fructum percipere, quem peto, ut optimi status Auctor dicar: „ & moriens, ut feram mecum spem, mansura in vestigio suo funda- „ menta Reipublicæ, quæ jecero. ”

(c) Huc referas, quod Romuli nomen sibi oblatum recusavit, ne affecta- ti imperii moveret suspicionem, Dione CASSIO teste l. 53. pag. m. 581. & DOMINI appellationem ut maledictum & opprobrium semper exhor-ruit Suet. in Aug. c. 53.

Dictaturam quoque, magna vi offerente populo, Genu nixus, dejectâ humeris toga, nudo pectore deprecatus est. Suet. *ibid. c. 52.* addatur Dio CASSIUS l. 54. pag. m. 596.

§. III.

Qui AUGUSTO postea successerunt Romanorum Impe-
ratores sub auspiciâ supremæ hujusce dignitatis a Senatu
populoque Romano iisdem prærogativis ornabantur, quæ
sequentibus sæculis LEGIS REGIÆ nomine ferebantur,

A 3

quan-

quandoque autem LEX IMPERII, quin & AUGUSTUM PRIVILEGIUM appellari solebant. l. 3. Cod. de testam l. un. §. 14. Cod. de caduc. toll.

Quatenus vero ab AUGUSTO usque ad VESPASIANUM hæ prerogativæ continuatæ fuerint, satis superque probat celebre illud LEGIS REGIÆ fragmentum, quod exhibetur à Cel. HEINECCIO in Antiq. rom. lib. 1. tit. 2. §. 67. JOHANNE ROSINO Antiq. rom. lib. 7. cap. 12. aliisque.

§. IV.

Non una est eademque Jurisconsultorum sententia de l. 1. §. 3. ff. de Just. & Jur. ubi ULPIANUS talem subjicit Juris naturalis definitionem: *Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit*; Quum enim, vel ipso asserente ULPIANO, animalia bruta rationis usu destituantur, arg. l. 1. §. 3. ff. Si quadr. paup. fec. dic. manifesto patet, animalia bruta, si proprie loquamur, nec observare nec transgredi posse Juris naturæ præcepta, & inde est, quod vocem *Juris* improprie hic esse acceptam, unanimi consensu fatentur eruditi. At tum quam maxime discrepant, quum, quo respexerit ULPIANUS, exponere conantur; Non defuere, quibus Jureconsultus figuratè loqui videbatur, propterea, quod, quæ hujus Juris esse dicuntur, ea etiam bruta faciant, idque cum similitudine quadam sensus ac desiderii humani, nam in brutis apparere simulacra quædam rationis, ita etiam Juris (a).

(a) Videatur cel. VINNII Comm. in princ. Inst. de Jur. nat. gent. & civ. §. 1.

Alii

Alii porro assererebant, Jus naturale formaliter, id est, quoad rationem non nisi in hominem cadere: materialiter autem, hoc est, quoad appetitum & instinctum naturæ, etiam in bruta, (b).

Quin & acutissimus GROTIUS (c). in eandem sententiam inclinare videtur: quum dicit: „ Quod si quando brutis animantibus iustitia tribuitur, id fit improprie, ex quadam in ipsis umbra rationis & vestigio. ”

Sed ex variis Doctorum explicationibus, quarum singulas afferre nimis prolixum esset, ea mihi maxime aridet, quam protulit Vir meritorum laude maxime conspicuus, SAMUEL de COCCEJI, (d). Contendit autem, in ista ULPIANI definitione vocem *Juris* accipi pro *ordine naturæ*, seu pro *motu* illo, quem DEUS omnibus animantibus indidit: „ hic motus, inquit, naturæ, hic „ ordo agendi improprie Jus dicitur, quia DEUS ea „ lege, eoque ordine creaturas existere jussit. ”

(b) Idem loc. cit. §. 2.

(c) de Jur. Belli & Pac. lib. I. c. I. §. II.

(d) in Jur. civ. controuv. lib. I. tit. I. quæst. 5.

§. V.

Ex hoc itaque naturæ motu, seu ordine, ULPIANO teste, descendit maris atque feminae conjunctio, quam nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio, hinc educatio; videmus enim cetera quoque animalia, feras etiam istius *Juris peritia* censeri; d. l. I. §. 3. pr. *Inst. de Jur. nat. gent. & civ.*

Quæ

Quæ quidem exempla non tantum mire probant sententiam, quam antecedente paragrapho attulimus, sed etiam fines designant, quibus circumscribitur Juris istius ambitus.

Ac proinde pro certo habeamus, hæc tantum exempla, & quæ iis maxime sunt similia, illo Jure improprie sic dicto comprehendi. Etenim graviter erraret, quisquis ea omnia Juris naturæ esse arbitraretur, quæ agunt animalia bruta ex instinctu naturali; Quâ ratione necesse foret, nefandis flagitiis, incestui, adulterio, vagæ libidini & vi sine justa causa illatæ, ac similibus ex Jure naturæ patrocinari velle, uti recte notavit Celeberrimus Voetius (a).

Quin potius ea, quæ hic adducuntur, ad prima naturæ, uti veteres loquebantur, pertinent, tanquam unicuique sine prolixiore argumentatione sponte obvia.

(a) ad tit. ff. de iust. & Jur. §. 13.

§. VI.

Constans est Juris Civilis principium, pupillum sine tutoris auctoritate contrahentem valide non obligari, adeo ut exinde nunquam actio legitima prodeat; sed de naturali pupilli obligatione paulo difficilior videtur quæstio, quam ut investigemus, qualitatem obligationum naturalium, breviter saltem exponere liceat; Obligationem dicimus naturalem, quæ vinculo Juris naturæ nititur, quamquam Jus civile ei non ita assit, ut exinde actio detur, & hoc sensu omnis obligatio, quæ pro fundamento suo Jus naturale tantum agnoscit, in genere naturalis appellari

lari potest, hinc itaque est, quod in l. 21. ff. ad leg. Falcid. pupillus dicatur naturali obligatione liberari, & in l. 1. ff. de nov. Obligatio dicatur naturaliter tenere, utputa, si pupillus sine tutoris auctoritate promiserit.

Sed quomodo hæc leges conciliandæ cum aliis Juris nostri textibus? uti cum lege 41. ff. de condict. indebit. cujus hæc sunt verba. Quod pupillus sine tutoris auctoritate stipulanti promiserit, solverit, repetitio est, quia nec natura debet. Et cum l. 59. ff. de obl. & act. Verba legis: Pupillus mutuam pecuniam accipiendo ne quidem Jure naturali obligatur.

Primum omnium observandum arbitror, Obligationes quidem, quæ ex Jure naturali descendunt, antiquis Jureconsultis in genere naturales dici consuevisse, at ipsum Jus Romanum eas Obligationes peculiari ratione distinxit, plerisque id tribuendo, ut quod ex tali causa solutum est, indebiti conditione repeti nequeat, quasdam autem improbavit penitus, easque effectu destituit, uti sunt Obligationes mulieris contra Senatusconsultum VELLEJANUM intercedentis, & pupilli, qui sine tutoris auctoritate contrahit. Ac eapropter, si rem accuratius expendamus, apparebit, & NERATIUM Jureconsultum, cujus est lex 41. ff. de condict. indeb. &, qui eum secutus est, RUFINUM, auctorem legis 59. ff. de obl. & act. non tam errasse in Jure, quam in reddenda Juris ratione, propter quam pupillus solutum condicat, ea quippe non est, quod pupillus natura non debet, sed quod personæ pupilli specialiter hocce privilegium a Legibus civilibus concessum fuit, idque ut credam, adducor l. 40. ff. de condict. indeb. Verba legis: Qui exceptionem perpetuam habet, solutum per errorem repetere potest, sed hoc non est perpetuum, nam siqui-

B

dem

dem ejus causa exceptio datur, cum quo agitur, solutum repetere potest, ut accidit in Senatusconsulto de intercessionibus: ubi vero in odium ejus, cui debetur, exceptio datur, perperam solutum non repetitur, veluti si filius familias contra Senatusconsultum Macedonianum mutuum pecuniam acceperit, & pater familias factus solverit, non repetit. Et l. 19. ff. de condit. indeb. ubi POMPONIUS: Si, inquit, pene causa ejus, cui debetur, debitor liberatus est, naturalis Obligatio manet, & ideo solutum repeti non potest.

§. VII.

Quum de obligationibus naturalibus, aliqua saltem ex parte agendi occasio mihi nata sit, haud abs re fuerit, alios earum effectus, eisdemque nonnihil diversos hic annotare.

Quamvis pupillus, quod ex tali obligatione solvit, conditione indebiti repetendi Jus habeat, fidejussores tamen, si qui huic obligationi accesserint, teneri, Auctor est GAJUS in l. 35. ff. de receptis qui arbit. recep. cum quo consentit PAPINIANUS arg. l. 95. §. 4. ff. de solut.

Ex diverso autem, si mulier contra Senatusconsultum VELLEJANUM intercesserit, vel filius familias mutuas acceperit pecunias, adversante Senatusconsulto MACEDONIANO, utroque casu ne fidejussores quidem, si qui dati sint, obligantur l. 16. §. 1. ff. ad Senatusconsultum VELLEJANUM & l. 9. §. 3. de Senatusconsulto Macedon. eo, quod Senatus totam improbat Obligationem.

§. VIII.

§. VIII.

At econtrario pupillus sine tutoris auctoritate contrahens civiliter non obligatur. *L. 43. ff. de obl. & act.* exceptio tamen obtinet, quum *ex re* venire dicitur Obligatio, hoc autem contingit omnibus iis casibus, quibus indoles ipsa negotii postulat actionem, & simul æquitas manifesto eandem suadet, siue Conventio intercesserit, siue secus; finge, factam pupillo solutionem sine tutoris auctoritate, eumque salvam habere pecuniam, aut ex ea locupletiolem factum fuisse, est, quod statuamus, pupillum re obligari, si enim adhuc eandem pecuniæ summam petat, poterit per exceptionem doli mali submoveri §. 2. *Inst. quib. al. lic. vel non.*


Nec minus re obligatur pupillus negotiorum gestor, vel ei, cum quo rem communem habet, ad præstandas impensas, quæ in conservationem rerum pupilli, vel communium utiliter erogatæ sunt: *L. 46. ff. de obl. & act. l. 6. pr. ff. l. 2. Cod. de negot. gest.* quin & in aliis contractibus idem locum habere arbitror, quotiescunque pupillus locupletior factus est.

§. IX.

Dotem Uxor affert marito, ad onera matrimonii sustinenda, hic cum sit finis præcipuus constitutæ dotis *L. 7. pr. l. 56. §. 1. l. 76. ff. de Jur. dot.* satis manifesta est ratio, cur ea pacta, quæ dotem marito reddunt inutilem, a Jure reprobestur quocirca conjuges pacisci non possunt, ne maritus fructus ex dote provenientes lucretur. At hæc non ita sunt generalia, quin ob casuum varietatem

B 2


tatem



tatem limitationes aliquas admittant. Quid enim si eo consilio dos amplior atque uberior mulieri constituitur, ut fructus in dotem abeant, & soluto matrimonio cum dote restituantur, maritus vero quoadusque duraturum est matrimonium, usuras ex fructibus prodeuntes percipiat? tale pactum utique valebit; utut enim maritus fructus immediate ex re dotali provenientes non lucretur, eadem tamen dos fructuum usuras ei assignat, ac proinde oneribus matrimonii sustinendis inservit, ad quem casum præsertim respicit *ULPIANUS* in *l. 4. ff. de pact. dot.* quæ præter alia hæc habet: *Ego utrobique arbitror interesse, quâ contemplatione dos sit data: ut si ob hoc ei majorem dotem mulier dedit, quia fructus volebat esse dotis, contento marito ea pecunia, quæ ex usuris reddituum colligitur, posse dici, conventionem valere: nec enim videtur sterilis esse dos.*

FINIS.







Universitäts
Bibliothek
Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn893338265/phys_0020

DFG



o pupillus sine tutoris auctoritate contra-
on obligatur. *L. 43. ff. de obl. & act.* ex-
obtinet, quum *ex re* venire dicitur Oblig-
tem contingit omnibus iis casibus, quibus
gotii postulat actionem, & simul æquitas
em suadet, sive Conventio intercesserit,
ge, factam pupillo solutionem sine tutoris
mque salvam habere pecuniam, aut ex ea
factum fuisse, est, quod statuamus, pu-
ari, si enim adhuc eandem pecuniæ sum-
oterit per exceptionem doli mali submove-
lib. al. lic. vel non.

te obligatur pupillus negotiorum gestorī,
quo rem communem habet, ad præstandas
in conservationem rerum pupilli, vel com-
er erogatæ sunt: *l. 46. ff. de obl. & act.*
Cod. de negot. gest. quin & in aliis contra-
um habere arbitror, quotiescunque pupil-
factus est.

§. IX.

OR affert marito, ad onera matrimonii futu-
rum sit finis præcipuus constitutæ dotis l. 7.
l. 76. ff. de Jur. dot. satis manifesta est ra-
tio, quæ dotem marito reddunt inutilem,
inquit quocirca conjuges pacisci non pos-
sunt fructus ex dote provenientes lucretur.
ita sunt generalia, quin ob casuum varie-

B 2

tatens